

COLLOQVIA PERSONARVM



COLLOQVIVM SEXTVM

Persōnae: Mēdus, Iūlius, Dāvus, Syrus, Lēander, Ursus

Via Latīna est longa, sed Mēdus, quī viā Latīnā Tūsculō Rōmam ambulat, fessus nōn est, nam is ambulat ad Lȳdiam amīcam, quae Rōmae habitat. Lȳdia Mēdum amat et ab eō amātur.

Mēdus cantat: "*Nōn via longa est Rōmam...*"

Mēdus autem sōlus ambulat; itaque id quod cantat ā nullō audītur.



Via quae est inter Tūsculum et villam Iūlii nōn tam longa est quam via Latīna, sed servī quattuor quī Tūsculō ad villam ambulat fessī sunt, quia lecticam et saccōs portant. Duo servī, Dāvus et Ursus, lecticam cum dominō portant. Saccōs portant Syrus et Lēander.

Iūlius, quī lecticā vehitur, servōs videt fessōs et imperat: "Pōnite lecticam in viā, servī!"

Servī fessī lecticam in viā pōnunt neque iam ambulānt. Syrus et Lēander saccōs pōnunt.

Dāvus: "Phū! Via longa est ab oppidō ad villam!"

Syrus: "Nōn longa est via, sed saccī magnī sunt."

Lēander: "Tuus saccus est parvus. Ecce saccus meus magnus! Dāvus autem lecticam cum dominō portat, nōn saccum."

Syrus: "Dāvus nōn sōlus, sed cum Ursō lecticam portat."

COLLOQVIA PERSONARVM

Ursus: "Neque vacua est lectica! Dominus nōn tam parvus est quam saccus tuus, Syre."

Iūlius, quī Dāvum fessum videt, imperat: "Iam saccum Syri portā, Dāve! Urse, sūme saccum Lēandri! Agite, Syre et Lēander, lecticam portāte!"

Servī pārent: Dāvus et Ursus saccōs sūmunt, lecticam sūmunt Syrus et Lēander.

Iūlius imperat: "Ambulāte, servī!"

Iam rursus ambulānt servī. Syrus et Lēander lecticam cum dominō portant, et saccī portantur ab Ursō et Dāvō: Ursus saccum magnum portat, saccus parvus ā Dāvō portātur.

Iam Dāvus nōn tam fessus est quam Syrus.

Syrus: "Phū! Via longa est ab oppidō ad villam!"

Dāvus ridet.

Ursus (ad Dāvum): "Cūr nōn ambulat dominus post lecticam?"

Dāvus: "Dominus fessus vehitur, nōn ambulat, quia nōn est servus."

Ursus: "Et servī fessī ambulānt, nōn vehuntur, quia dominī nōn sunt."

Lēander: "Num fessus est dominus, quī lecticā vehitur?"

Dāvus: "Tacē, Lēander! Dominus tē audit."

Iūlius sterit: "Ssst-rrrch, ssst-rrrch...!"

Lēander: "Ecce dominus iam dormit, quia longā viā fessus est! Is mē nōn audit."

Verba servōrum ā Iūliō nōn audiuntur, nam dominus fessus iam dormit in lecticā! Dominus quī dormit ā servis nōn timētur.